



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

§. I. Quodnam sit Objectum Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

non consequenda beatitudinis, quod præsuppositum, sequitur desperatio. Sed agendum hic de illa, prout ita sequente, & prout dicit actum voluntatis. *Hinc*

ASSERO II. *Desperationem pro actu voluntatis acceptam, esse positivam non volitionem beatitudinis æternæ, prout non consequenda.* Dixi positivam non volitionem, quia qui suspenderet actum, ceteroqui aliquo alio occupatus, & non urgente necessitate, non desperat. Utor autem potius termino, non volitio, quam nolitio, quia non volitio, est quid commune ad actum positivum nolitionis, & ad actum, quo positive non volo sperare. Dixi prout non consequenda: quia, sicut in definitione spei ponitur motivum, & objectum iudicii prælucentis, ita debet poni in presenti.

ASSERO III. *Posse Deum præscito revelare suam damnationem;* id docuit S. Thomas Suar. Vaseq. Valent. Amicus. d. 23. S. 2. contra Bonav. Argent. & alios.

RATIO. Quia id non implicat contradictionem. Deinde, omne revelabile potest Deus revelare, ut constat ex terminis; illa autem damnatio, est revelabilis: quia illud omne est revelabile, quod Deus cognoscit ita se habere, & non fecit decretum de hoc non revelando. Cognoscit autem Deus præscitum esse damnandum, & non scitur de decreto in oppositum. Licet præsumendum sit de Divina clementia, quod id nunquam sit acturus. Quamvis autem omnis viator obligetur ad sperandum, per se loquendo, ex accidenti tamen potest non obligari, ut non obligaretur hic, cui revelaretur sua damnatio. Transeat, quod non posset reddi causa à nobis, cur id DEUS revelaret, sufficit, quod illam Deus in se reperiret, & altis suis iudiciis, possetque Deus ad ostendendum, quam illi displicuerint peccata illius præsciti, hoc

ipsum revelare. Neque tunc esset causa desperationis; licet illa revelatio esset occasio desperandi, id autem non repugnat Dei bonitati: nam multi ex forti apprehensione, v.g. casus extraordinarii, quo Deus invita punivit aliquem peccatorem, sumunt occasionem desperandi, & tamen impedire hoc non spectat ad bonitatem Dei, & sicut bonitas Dei non impedit, ne prævisâ impoenitentia finali formet Deus decretum de damnando, sic nec impedit, ne prædictam revelationem ponat.

ASSERO IV. *Etiam ei, qui est actu in statu justitie, est possibile, revelari suam damnationem prævisam.*

RATIO. Quia id non implicat, quidquid in oppositum senserit Kon. d. 20. n. 93. Implicat quidem fieri talem revelationem ante prævisâ illius demerita, sed non implicat post prævisâ. Nec reddetur illi impossibilis sua salus: quia adhuc illi offerentur auxilia sufficientia; possetque DEUS nullam speciem relinquere rememorativam illius revelationis; formando illam, ut dixi, post prævisâ demerita, atque voluntate, signo, & suppositione consequenti. Nec attendi debet, quod inde sequi possint peccata gravia, quia illa revelatio non fuit occasionaliter se haberet. Imò si potest, peccatori id revelari, cur non & iusto, qui illa revelatione alliceretur, ad præsentem quem habet statum, exitus tuendum.

ASSERO V. *Neminem sine motivis evidentissimis credibilitatis debere inducere in animum, quod id sit sibi revelatum.*

RATIO. Quia ex una parte non congruit id Divina bonitati; ex altera, nisi adsint motiva credibilitatis evidentiæ, nemo tenetur credere, præcindeturque per hoc anima multarum inanimi apprehensionum.

Reliqua petantur ex materiis practicis.



TRACTATUS III.

ET

DISPUTATIO VII.

De Charitate.

§. I.

Quodnam sit Objectum Charitatis?

ASSERO I. *Objectum materiale charitatis, quæ charitas est, non est solus Deus.*

RATIO. Tum quia aliarum virtutum Theologicarum objectum materiale, non est solus DEUS. Tum quia non solus Deus formali charitatis informatur. Tum quia rationes, quæ probant fidem non habere pro materiali solum Deum,

Deum, etiam hinc militant. Unde proportionaliter ad dicta supra dando commune nomen Deo & Creaturis, objectum tale, erit, Ratio volibilis, vel Boni.

ASSERO II. *Objectum Charitatis materiale, prout Charitas, est habitus fruendi, est solus Deus.* Sumitur hæc phrasid ex Aug. L. 3. de Doctr. Christ. cap. 3. Ubi actualem charitatem, appellat verum animi motum, ad fruendum Deo. Quod autem charitatis sic sumptæ objectum sit Deus.

RATIO est, quia id quo fruimur ex Doctrina Aug. & PP. habet se tanquam ultimus finis, cuius possessio beata, solus autem DEUS beat.

ASSERO III. *Objectum formale Charitatis Theologica, est Deitas, in quantum habet rationem, (ut communis phrasid loquar,) bonitatis prime, secundum se & propter se bona, sex bonitatis in se & per essentiam.* Quod habeat pro objecto Deitatem.

RATIO est, quia aliis non esset virtus Theologica.

Quod autem Deitas, sit illud objectum sub formalitate volibilis seu bonitatis.

RATIO est, quia habitus ille est habitus voluntatis, voluntas autem pro objecto habet, ut dicitur communiter bonum.

Quod autem habeat pro formali bonitatem propter se seu in se, per essentiam bonæ.

RATIO est, quia charitas est actus amoris amicitiae; consequenter & habitus erit habitus amoris amicitiae: amor autem amicitiae respicit bonum secundum se: & licet v.g. Deus sit amabilis propter suam sapientiam, hæc tamen amabilitas convenit illi, in quantum ipsa sapientia bona est; licet item possit amari propter beneficia, eo tamen casu, gratitudo pro beneficiis, imperat amorem Dei, propter se, vel simpliciter erit gratitudo, non amor.

S. II.

Varietas Sententiarum & Argumentorum de motivo Charitatis.

Alii cum Vasq. & pluribus tam Recentioribus, quam Antiquis docent motivum amoris erga Deum, & proximum, respectu quidem Dei, esse ipsam illius bonitatem, respectu autem proximi duplicem amorem distinguunt, & amore quidem concupiscentiae, dicunt illum amari propter Deum, amore autem amicitiae amari proximum, quando motivum formale illum diligendi, non est ipse Deus, & bonitas increata, sed bonitas creata proximi.

Alii autem cum communiter sententia unum assignant, motivum, nempe bonitatem incretam Dei. Pro hac sententia citatur S. Th. Suar. Val. & post illos Amicus d. 24. S. 3. Quanquam Suar. pro minus principali motivo amoris proximi, ponit participatam Dei bonitatem. Et quidem, quod unum non nisi sit Charitatis Dei & proximi motivum.

PRIMA RATIO est Auctor. PP. qui unicam tantum agnoscunt charitatem, quâ Deum & proximum diligamus; & ita August. Serm. de

Dominica post Ascensionem. *Non alia, inquit, charitas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum, quâ charitate proximum, ipsa charitate diligimus & Deum.*

RESPONDERI potest. PP. non plus velle, quàm quod idem sit habitus charitatis Dei & charitatis proximi, amati propter seum; sed hoc non probat idem esse motivum: quia intra eundem habitum, possunt reperiri plura distincta specie motiva. Quod magis procedit de habitu charitatis; qui se habet per modum potentiae volitivæ supernaturalis. Jam autem potentia volitiva naturalis plura habet motiva. Difficilis est Richardi Locus, quem citat Amicus. Aliquo, inquit, actu charitatis diligit potest Deus, quo non diligitur proximus, quamvis eodem habitu charitatis diligitur uterque, tamen nullo actu charitatis potest diligi proximus, quo non diligitur Deus. Sed Cõcedi potest Richard. fuisse in opposita sententia; vel quod loquatur de amore proximi propter Deum, quo casu saltem indirecte debet amari Deus, non loquitur autem de amore proximi propter bonitatem aliquam supernaturalem, propter quam illum non posse amari, non ostenditur.

SECUNDA RATIO est, quâ utitur Amicus Charitas, est habitus perfectissimæ dilectionis, tendens in objectum juxta perfectionem objecti diligibilis; at nulla creatura est bona, nisi bonitate participata à bonitate increata Dei. Ergo nulla est ex charitate diligibilis, nisi ultimata propter infinitam bonitatem Dei.

RESPONDETUR. Ex hoc ipso, quod creatura non sit diligibilis, nisi bonitate participata, probatur, non ex eodem motivo diligi proximum & Deum. Deinde licet nulla creatura sit bona, nisi bonitate participata Dei, in re loquendo, in ordine tamen ad nostras intentiones, poterit non attendi ad formalitatem participatæ bonitatis.

TERTIA RATIO à Pari.

PRIMA PARITAS. Charitas ipsa increata Dei, cujus participatio est charitas creata, nullam creaturam diligit, nisi ultimato propter seipsam, Ergo & charitas, quâ diligimus proximum.

RESPONDETUR. Etiam in Deo datur formalitas amoris, quâ diligit creaturam, etiam propter bonitatem, quam habet.

SECUNDA PARITAS. Ita se habet charitas infusa ad diligendas creaturas propter bonitatem Dei, sicut Lumen gloriæ ad easdem intelligendas propter intelligibilitatem Dei: sed specificativum visionis creaturarum in Deo, non est intelligibilitas creaturarum, sed Dei. Ergo specificativum amoris creaturarum, quæ propter Deum diliguntur, non est bonitas creaturarum sed Dei.

RESPONDERI potest. Negando, quod intelligibilitas etiam creaturarum, non specificet aliquas noticias creaturis principiatas à Lumine gloriæ, licet illæ, quæ tales, non sint beatificativæ intellectus, nisi forte velis ad alium habitum, non ad Lumen gloriæ, tales noticias referre.

(1) 5

QUAR-